

Beneficia Vetera Et Nova, Divæ Virginis Dittelbacensis

Sang, Eucharius

Wirceburgi, 1607

Capvt III. Cur & quando sacrum sacellum fuerit exædificatum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64129](https://nbn-resolving.de/urn/resolver.pl?urn=urn:nbn:de:hbz:466:1-64129)

reperit Senatores. Nonnulli inter illos, hominem nouum, noua recensentem portenta, ut stolidum, ridendum & reiiciendum iudicabant. Alij autem aetate & prudentia grauiores, rem eiusmodi nequam existimabant negligendam, & alios, in causa necdum satis explorata ut iudices temerarios, acriter obiurgabant. Præterea sibi cæterisque in memoriam reuocabant, quæ dudum à maioribus accepissent suis: æris campani sonum, eò loci, vbi imago colebatur, aliquando auditum, eoq; dubio procul significatum, populi concursum & frequentiam ibidem aliquando futuram. Nicolaus sua apud Senatum legatione perfunctus, pergit hilaris domum, salutem suam vbiique diuulgans, DEOq; & ipsius Matri adscribens.

CAPVT III.

Cur & quando sacrum facellum
fuerit exædificatum?

SA B hoc miraculo, Deiparæ effigies, magis magisq; cæpit esse in cultu & veneratione. E finitimis locis vndique confluebant vi- ri, fæminæ, senes, pueri, ciues, pagani, sa- lutem opemque poscentes, & ferentes. Nullus, to- to anno, mensis abibat, vix dies, quin ab aduenis

locus

locus ille frequentaretur, & in eodem sacra imago celebraretur. Dona innumera adferebantur. Anonnullis cera, aut vestis: opulentiores pecuniam dabant. Manu vacua pauci accedebant.

Inter hæc, Senatus Dettelbacensis, accensus populorum concursu, donis votiuis, beneficijsque in ægros collatis, impensis locum colere, & tutari institit imaginem. Tuguriolum itaque construitur, ad conseruanda dona contra aëris iniuriam. Ac, tempore procedente, cùm accurrentium cresceret numerus, & dona cumularentur, ciues ipso serio cogitare incipiunt de templo construendo, & intra breve tempus consilia sua ad optatum finem perducunt, Reuerendissimo & Illustrissimo Præsule & Duce Franconiae Laurentio à Bibra annente, & iam currentibus calcar addente, anno IV. post millesimum, quingentesimum.

Porrò quemadmodum omnium fermè rerum initia exigua sunt, quæ tamen paulatim vires sumunt & incrementa; sic è tuguriolo primum humili, templum deinde erectum est, quod in magnam molem excrevit, ac tabulis, picturis, sacrisque aris mirificè fuit exornatum.



CAPVT